

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVII - N. 2

2005

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2005

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Litterae Apostolicae <i>Motu proprio</i> datae de Basilicis Sancti Francisci et Sanctae Mariae Angelorum quibus novae normae decernuntur	149
--	-----

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	151
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIO	153
ALLOCUTIO Em.mi Praesidis apud Universitatem Catholicam Murcensem Sancti Antonii occasione Congressus Eucharistici Internationalis Universitarii habita: <i>La Eucaristía en el ordenamiento jurídico de la Iglesia</i>	154

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Adnotatio de Ministro Sacramenti Unionis Infirmorum	175
CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA	
Instructio circa criteria discernendi quoad vocationem personas quae tendentias homo-sexuales praesentant in ordinem ad eas admittendas ad seminarium et ad ordines sacros	180

EX ACTIS PONTIFICIA COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio VI)	186
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio VII)	203
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio VIII)	223
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio IX)	256
Schema Canonum « De Iure Patrimoniali Ecclesiae »	284
NOTITIAE	304
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	305
INDEX RERUM GENERALIS	307

COETUS STUDII
«DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS»

Sessio VII^a
(diebus 26-31 maii 1969 habita)

Diebus 26-31 maii 1969, in aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas Codicis I.C. «De bonis Ecclesiae temporalibus».

Conventui intererant Exc.mus Narcisus Jubany; Ill.mi ac Rev.mi Vincentius Fagiolo, Hercules Crovella, Laurentius McReavy, Thomas Garcia Barberena, Fridericus McManus; Rev.mi PP. Uldericus Beste, Daniel Faltin, Alfonsus Stickler; Cl.mi DD. Eugenius Isele et Marius Petroncelli.

Praeerat Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis; Relatoris munere fungebatur Ill.mus ac Rev.mus Hercules Crovella; actuarii munere fungebatur Rev.dus Voto, a studiis Commissionis.

Quaestiones a Secretaria propositae fuerunt sequentes:

a) num patrimonialia bona personae canonicae privatae inter bona ecclesiastica computari debeant;

b) quaenam massae bonorum reputentur necessario efformari ac definiri debere in iure patrimoniali Ecclesiae; de singulis dicatur constitutio, finis, subiectum domini;

c) quaenam sint institutiones ecclesiasticae quae assignatione bonorum patrimonialium stabilium egent ut recte constitui possint;

d) num quaedam officia ecclesiastica bona temporalia, tamquam dotem, in posterum retinere valeant;

e) quid de supervientia beneficiorum ecclesiasticorum, ratione habita situationis in singulis regionibus, statui possit in novo Codice, v.gr. de iuribus quaesitis, de conventionibus cum Statibus etc.;

f) num in librum «Ius patrimoniale Ecclesiae» transferendi sint canones qui in variis partibus CIC de bonis ecclesiasticis agunt, ita ut in tali libro, tamquam in propria sede, omne ius patrimoniale Ecclesiae contineatur. Consequenter nisus fiat organizationis totius materiae.

g) de organizatione totius materiae de iure patrimoniali Ecclesiae.

Sequentes Consultores votum da propositis quaestionibus paraverunt: Exc.mus Wojcik; Rev.mi Fagiolo, Crovella, McReavy, Barberena, Beste et Stickler; Cl.mi Isele et Petroncelli.

De his votis Rev.mus Relator relationem scripto apparavit ad referendum sententiam quam quisque Consultor in suo voto expresserat.

Adunatio I^a
die 26 maii 1969 mane habita

Rev.mus Secretarius omnibus Consultoribus salutem dicit et singulariter Exc.mo Jubany, qui nuper huic Coetui adscriptus fuit.

Deinde Rev.mus Secretarius quaerit num Consultores Relationem laborum VI^{ae} Sessionis probent quod attinet sive ad integritatem sive ad veritatem eorum quae ibi relata sunt. Consultores unanimiter relationem approbant.

Quaerit etiam utrum placeat ordinem laborum sequi prout propositum a Secretaria, an potius Consultores censeant aliquam quaestionem primo tractandam esse, ex qua solutio aliarum quaestionum pendeat.

Consultores probant ordinem laborum a Secretaria propositum.

QUAESTIO I

NUM PATRIMONIALIA BONA PERSONAE PUBLICAE PRIVATAE
INTER BONA ECCLESIASTICA COMPUTARI DEBEANT

Rev.mus Relator legit vota Consultorum ex quibus apparet fere omnes Consultores recusare distinctionem inter personas iuridicas seu canonicas publicas et privatas etsi fateantur hanc quaestionem pertinere ad alium Coetum.

Rev.mus Secretarius notat quod in CIC (can. 1489) habetur figura aliquorum institutorum, quae non constituuntur personae iuridicae in Ecclesia, quae tamen ab Ecclesia approbantur. A pari admitti potest figura personae canonicae privatae super quam Ecclesia ius vigilantiae habeat ratione finis, non ratione deputationis ad agendum nomine Ecclesiae.

Rev.mus primus Consultor asserit exemplum allatum a Rev.mo Secretario non solvere difficultates. In can. 1489 enim sermo est de institutis (uti sunt v. gr. hospitalia, orphanotrophia aliaque similia), quae magis magis-

que, attentis conditionibus nostrorum temporum, a Statu advigilantur. Dum, e contra, illa figura personae canonicae privatae maxime consideranda est propter suas sequelas in iure associativo Ecclesiae.

Ideo Rev.mus primus Consultor, cui accedunt Rev.mi secundus, tertius et quartus Consultores, considerare vellet rationes recusandi illam distinctionem inter personas iuridicas publicas et privadas.

Sed alii Consultores censent quod, supposita illa distinctione, Coetus hic decernere potest et debet num bona patrimonialia personae canonicae privatae inter bona ecclesiastica computari debeant, quidquid sit de legitimitate vel de opportunitate illius distinctionis inter personas iuridicas publicas et privadas. Ceterum unusquisque Coetus non potest censuram facere circa labores aliorum Coetuum. Ad summum, addit Rev.mus Secretarius, recenseri possent difficultates quas Coetus noster experitur circa normas edendas de bonis personarum iuridicarum privatarum, ex eo quod non clare apparent natura et finis harum personarum. Quae difficultates transmitti possent ad alium Coetum, qui forte rem melius considerare posset.

Post aliquam discussionem omnes Consultores statuunt ut seponatur quaestio de legitimitate illius distinctionis et discussio fiat de natura bonorum personarum canonicarum privatarum.

Rev.mus quintus Consultor sequentes considerationes facit:

a) Quaestio num bona personarum iuridicarum privatarum sint bona ecclesiastica suum habet momentum quia personae publicae subiiciuntur regulis quibus non subiiciuntur personae privatae, ut apparet ex can. 4, §§ 1, 2 ab alio Coetu redacto.¹

b) Attento canone 1498 a nobis recognito, videtur quod affirmative responderi debet quaestioni num illa bona inter bona ecclesiastica computari debeant. Canon, enim, nullam introducit distinctionem, statuens principium generale iuxta quod ea bona temporalia sunt ecclesiastica quae ad personas morales in Ecclesia pertinent.

¹ Ex textu illius canonis:

« § 1. Personae iuridicae seu canonicae publicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti eriguntur ac deputantur ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae seu canonicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure expresse eam concedente sive formali decreto auctoritatis eandem personalitatem concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure cum nempe condiciones adimpleant iure ad eam obtinendam requisitas, sive per formale decretum auctoritatis ecclesiasticae eandem personalitatem concedens ».

Non eadem conclusio eruitur ex canone 1521 § 2 iam recognito, in quo statuitur administrationem bonorum ecclesiasticorum fieri debere nomine Ecclesiae: si hoc examinetur una cum his, quae alius Coetus statuit iuxta quem personae publicae agunt nomine Ecclesiae non autem privatae, videtur quod patrimonialia bona personae canonicae privatae inter bona ecclesiastica nequeunt computari. Res incerta igitur videtur. Unde, suppositis normis ab altero Coetu propositis, aliquid mutandum est in nostris canonibus ut talis incertitudo dispereat.

c) Ad praecisam quaestionem quod attinet, respondendum videtur illa bona computanda esse inter bona ecclesiastica.

Rev.mus Relator item censet illa bona computanda esse inter bona ecclesiastica. Definitio enim bonorum ecclesiasticorum habetur in can. 1498 qui statuit ea bona temporalia esse ecclesiastica, quae « ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem aliasve, in Ecclesia personas morales pertinent ».

Hic nulla distinctio invenitur inter personas morales seu iuridicas, neque distinctio fundamentum habet, quia omnes originem ducunt ex ordinatione vel divina vel eorum qui in Ecclesia potestatem iurisdictionis habent. Omnes enim personae erectae per actum competentis Auctoritatis ecclesiasticae:

1. ad finem spiritualem ordinatae sunt, qui singulorum finem transcendit (can. rec. 2);
2. earum statuta ab Auctoritate competenti probantur (can. rec. 4 § 3);
3. gaudent favoribus quibus in iure pollent minores (can. rec. 5).

Differunt tamen personae iuridicae publicae a personis iuridicis privatis ex sequentibus causis:

1. si personae publicae ipso iure eriguntur, requiritur ut idem ius *expresse* personalitatem concedat, sed hoc non requiritur pro personis privatis (can. rec. 4 § 2);
2. personae publicae « intra fines sibi praestitutos *nomine Ecclesiae*, agunt »; non autem idem dicitur de personis privatis (can. rec. 4 § 1);
3. in personis publicis repraesentatio spectat ad eos quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, *ad normam iuris conditis*, agnoscitur; in personis privatis ad eos spectat repraesentatio quibus per statuta tribuitur (can. rec. 6).

Enuntiatae diversitates tamen non videntur exigere ut definitio bonorum ecclesiasticorum canonis 1498 etiam ad bona temporalia personarum

privatarum non extendatur; personae privatae enim non aliter quam publicae erectionem obtinent vel ex ipso iuris praescripto vel ex formali decreto Auctoritatis ecclesiasticae. Si persona iuridica est privata, eiusdem tamen bona non sunt privata; bona scilicet non sunt in dominio et arbitrio personarum phisicarum, sed illius sunt personae iuridicae, quae ab Ecclesia, ad fines ab eadem probatos, erecta est. Cum insuper etiam persona privata sub ecclesiastica disciplina, modo eidem proprio, constituta sit, etiam bona temporalia, quorum ipsa persona dominium habet, ab eadem disciplina aliena esse nequeunt.

Ex praemissis itaque constat, bona temporalia personarum iuridicarum privatarum ecclesiastica esse, sed particularibus normis regi debere. Hae autem normae, iure communi tantum generaliter admissae, in statutis singulorum personarum, ab ecclesiastica Auctoritate probatis, determinandae sunt.

Rev.mus secundus Consultor positive respondit. Bona enim sunt ecclesiastica vel non prout eorum dominium pertinet vel non pertinet ad ens ecclesiasticum, quod, iuridice saltem, est capax bona possidendi. Jamvero non est dubitandum quin etiam persona iuridica privata sit ens ecclesiasticum capax bona possidendi. Ergo...

Sane, per fictionem legis fieri posset ut bona personae canonicae privatae in iure haberentur tamquam si non essent ecclesiastica; aut per exceptionalem legis dispositionem, eiusmodi personae privari possunt illo iure possidendi quod de se personalitati proprium est. Attamen, iuris fictiones et exceptiones abnormales in legem non sunt introducendae, nisi in quantum sint vere necessariae; quod dici nequit in casu.

Si enim, in aliquo casu particulari, magis prudens vel aptum videtur ut bona ad institutum quoddam pium vel caritativum pertinentia non in iure habeantur tamquam «ecclesiastica», melius esset personalitatem canonicam ipsi non tribuere. Aliis aptioribus modis in iure provideri potest illi vigilantiae quam Ecclesia recte sibi vindicat quoad opera suorum membrorum pia vel caritativa, sicut patet ex exemplo Conferentiarum S. Vincentii a Paulo, quae, etsi personalitate canonica carent ideoque Ordinarii iurisdictioni directe non subduntur, nihilominus, in eis quae spectant piarum fidelium voluntatum adimpletionem, ab Ordinario visitari possunt eique rationem reddere debent (can. 1515).

Rev.mus sextus Consultor notat quod ratio distinctionis inter personas publicas et privatas varia est apud auctores; etiam in doctrina laica deest criterium distinctionis uniforme. Criterium quod offert Coetus «De personis» (can. 4) est quod persona publica agit nomine Ecclesiae; ideo criterium adhibetur in canone iam recognito 1521 § 2, in quo statuitur administrationem bonorum ecclesiasticorum fieri debere nomine Ecclesiae. Sed tale

criterium videtur insufficiens et vagum; posset autem compleri si haec regula admitteretur: *illa persona est publica quae in regimine interno gubernatur potestate iurisdictionali vel potestate dominativa publica, vel quae in actu erectionis donata est personalitate publica.*

Ceterae personae sunt privatae: ita associationes fidelium, hospitalia, orphanatrophia, et quaevis massa patrimonialis personalizata ad fines cultus vel caritatis prosequendos libera christifidelium activitate.

Jamvero bona personarum privatarum non sunt computanda inter bona ecclesiastica.

Quod haec bona non sint ecclesiastica, congruere videtur cum principio subsidiariorum: nam consociationes privatae pendent a libera voluntate fidelium; similiter instituta caritatis et educationis libere possunt a fidelibus conditi. Iam, quod a fidelibus libere et licite peragi potest, non debet ab Ecclesia ut tali, officialiter et nomine proprio, peragi. Ceterum ad Hierarchiam Ecclesiae pertinet decernere num determinata persona esse debeat publica vel privata; nempe utrum agat nomine Ecclesiae an nomine proprio.

Consequenter corrigatur can. 1498 ita ut dicatur bona ecclesiastica ea esse quae pertinent ad personam canonicam publicam.

Quoad regimen bonorum personarum privatarum haec statuenda videntur:

- a) subsunt vigilantiae et visitationi Ordinarii loci;
- b) habere debent administratorem permanentem constitutum;
- c) de ceteris provideant tabulae fundationis, statuta legitime approbata et ius particulare.

Rev. mus septimus Consultor concordat cum Rev. mo sexto Consultore.

Rev. mus tertius Consultor censet bona personarum canonicarum privatarum esse bona ecclesiastica et ideo ipsis applicandos esse canones de bonis ecclesiasticis, congrua congruis referendo.

Rev. mus octavus Consultor dicit quod etiam personae canonicae privatae sunt ecclesiasticae et ideo ipsorum bona patrimonialia inter bona ecclesiastica computanda sunt.

Rev. mus quartus et Ill. mi nonus et decimus Consultores item censent bona personarum canonicarum privatarum inter bona ecclesiastica computanda esse.

Adunatio II^a
die 27 maii 1969 mane habita

Rev.mus Relator notat quod ex discussione diei praecedentis constat maiorem partem Consultorum inclinare pro sententia affirmativa, quod nempe bona personarum canonicarum privatarum esse bona ecclesiastica.

Rev.mus sextus Consultor animadvertit quod Coetus noster, per hanc sententiam affirmativam minime rationem habuit de distinctione facta ab alio Coetu inter personas iuridicas publicas et privatas. Jamvero si ille Coetus hanc distinctionem fecit, consecutaria talis distinctionis retinenda sunt etiam in nostro Coetu, imo praesertim in nostro Coetu. Illa distinctio enim fere nihil diceret, nisi sequelas haberet in iure patrimoniali, ut nempe bona personarum privatarum non computentur inter bona ecclesiastica.

Rev.mus octavus Consultor, e contra, dicit quod non potest concipi persona canonica, etiam privata, quae non sit ecclesiastica. Talis indoles autem ecclesiasticitatis facit ut numquam persona privata ita « privata » sit ut ne quidem ipsius bona sint ecclesiastica.

Solutio, dicit Rev.mus octavus Consultor, sequens esse posset: personae canonicae, sive publicae sive privatae, quae eriguntur ab Ecclesia sunt personae ecclesiasticae sensu stricto et ipsorum quoque bona sunt bona ecclesiastica stricto sensu. Personae autem quae approbantur vel commendantur ab Ecclesia non induunt plenam indolem ecclesiasticitatis et ideo ipsorum bona non sunt bona ecclesiastica stricto sensu et consequenter non subsunt legibus et conditionibus bonorum stricte ecclesiasticorum.

Rev.mus secundus Consultor concordat cum Rev.mo octavo Consultore.

Rev.mus sextus Consultor instat pro sua sententia et dicit quod qualificatio « ecclesiastica » si ad bona referatur est aequivoca, quia potest intelligi quod bona sunt « ecclesiastica » non solum ratione subiecti dominii sed etiam ratione normarum quibus reguntur. Solutio proposita a Rev.mis octavo et secundo Consultoribus (personae ecclesiasticae stricto et lato sensu), ut ratio qualificationis bonorum ecclesiasticorum, non potest admitti quia secus evanescit tota ratio distinctionis alterius Coetus inter personas iuridicas publicas et privatas, quae melius quidem salvat principium quod societates specificantur per fines. Jamvero si finis inspiciatur, non repugnat quod aliqui christifideles suo marte aliquos fines privatim in Ecclesia prosequantur et ideo non repugnat quod aliqua bona privata habeant ad illos fines assequendos.

Rev.mus primus Consultor proponit ut in iure communi agatur tantum de bonis quae pertinent ad instituta quae in personam iuridicam sint erec-

ta. De aliis institutis quae privatim agant, vel sint commendata, vel approbata provideant tabulae foundationis et statuta legitime approbata.

Ill. mus decimus Consultor censet quod distinctio inter instituta in personam canonicam seu moralem erecta et instituta approbata vel commendata non succurrit solutioni nostrae quaestionis, quia quodcumque sit institutum in Ecclesia, etiamsi non habeat plenam personalitatem per erectionem, ipsius bona recensenda sunt inter bona ecclesiastica.

Rev. mus Secretarius notat esse iuris positivi quod qualificentur « ecclesiastica » illa bona quae pertinent ad personas morales in Ecclesia, et ideo circa haec bona generatim versantur leges iuris patrimonialis Ecclesiae. Attamen non desunt leges circa bona ad personas físicas pertinentia (ex. gr. fructus beneficii), quae bona, per se, si ad strictam definitionem attendatur, non computanda essent inter bona ecclesiastica.

Ex hoc deduci potest non repugnare aliquam notionem magis latam bonorum ecclesiasticorum, quam nos definire debemus, cuiusque consecraria non sint talia ut regimen bonorum eodem modo omnibus bonis (sive personarum canonicarum privatarum sive personarum publicarum) applicandum sit.

Rev. mus sextus Consultor censet quod difficultates provenientes ex definitione bonorum ecclesiasticorum (can. 1498) eliminari possent per simplicem suppressionem canonis 1498, quia, ad ius internum Ecclesiae quod attinet, qualificatio bonorum non est necessaria. Sufficit dicere: « Bona temporalia quae ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem aliasve in Ecclesia personas morales pertinent, regimini Ecclesiae subduntur ». Ad ius externum Ecclesiae quod attinet, providet can. 1499 (de dominio bonorum ecclesiasticorum).

Rev. mus Secretarius, contra Rev. mum sextum Consultorem, dicit notionem bonorum ecclesiasticorum esse necessario in Codice delineandam, secus incerta manet materia super quam leges versantur.

Rev. mus primus Consultor proponit ut anteponatur can. 1499 (de dominio bonorum) cui addatur canon propositus a Rev. mo sexto Consultore, ita tamen emendatus: « Bona temporalia quae ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem ... pertinent, *sunt bona ecclesiastica, nempe* subduntur regimini Ecclesiae ».

Hoc modo, censet Rev. mus primus Consultor, ratio qualificationis bonorum repetitur non ex subiecto domini sed ex regimine ipsorum bonorum, quod regimen diversum esse posset pro variis speciebus bonorum.

Rev. mus sextus Consultor concordat cum Rev. mo primo Consultore.

Post aliquam discussionem plures Consultores videntur convenire circa hanc positionem Rev. morum primi et sexti Consultorum.

Ideo committitur Rev. mo secundo Consultori ut in conventu vespertino praebeat schema novae dispositionis canonum 1498 et 1499.

Adunatio III^a
die 27 maii 1969 vespere habita

Rev.mus secundus Consultor sequens schema praebet de nova dispositione cann. 1498-1499:

Can. 1498

Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet personam moralem, quae eadem bona legitime acquisiverit.

Can. 1499

§ 1. Bona temporalia omnia quae in dominio sunt Ecclesiae, Apostolicae Sedis aliisque in Ecclesia personae moralis, sive publicae sive privatae, cum sint bona ecclesiastica, regimini Ecclesiae subduntur.

§ 2. Regimen patrimoniale personarum canonicarum privatarum iure particulari determinandum est. Quod autem spectat bona patrimonialia personarum canonicarum publicarum, servantur canones qui sequuntur.

(*Versio altera*):

Totum regimen patrimoniale personarum canonicarum privatarum subest vigilantiae et visitationi Ordinarii loci, cuius est abusus, si qui irreperint, coercere.

De canone 1498 nulla habetur difficultas.

Formula autem can. 1499 nemini placet.

Rev.mus Secretarius proponit ut cann. 1498 et 1499 ad unum canonem reducantur his verbis:

§ 1. Dominium bonorum etc... (prout in can. 1498).

§ 2. Regimen autem ipsorum bonorum quae ad personas morales in Ecclesia pertinent fieri debet secundum conditionem diversam personarum moralium.

Habetur discussio in qua resumuntur difficultates contra distinctionem factam ab alio Coetu inter personas morales publicas et privatas. Cum criterium distinctionis non appareat clarum, plures Consultores dicunt non posse praefigurari « conditionem diversam personarum moralium » secundum quam statui debet regimen bonorum ad illas personas pertinentium.

Rev.mus sextus Consultor sequentem propositionem facit: supponamus quod criterium distinctionis inter personas morales publicas et privatas ad hoc reducat quod nempe personae publicae agunt nomine Ecclesiae et personae privatae agunt nomine proprio. Si in hoc convenimus, possemus omnes canones de iure patrimoniali Ecclesiae iam probatos examinare et determinare quinam canones teneant personas publicas et quinam canones teneant personas privatas.

Rev.mus octavus Consultor animadvertit aliam esse quaestionem de qualificatione bonorum personarum moralium privatarum, aliam esse quaestionem de ipsorum regimine: ante omnia oportet definire utrum illa bona sint ecclesiastica necne, postea sermo erit de regimine.

Rev.mus Secretarius opportunum ducit ut integra quaestio differatur ad ultimum diem praesentis Sessionis ita ut Consultores tempus habeant ad illam melius considerandam ac perpendendam.

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

Adunatio IV^a
die 28 maii 1969 mane habita

QUAESTIO II

**QUAENAM MASSAE BONORUM REPUTENTUR NECESSARIO EFFORMARI
AC DEFINIRI DEBERE IN IURE PATRIMONIALI ECCLESIAE**

Rev.mus Secretarius rogat Rev.mum octavum Consultorem ut quaedam generalia de hac quaestione exponat et schema canonum quod ipse paravit introducat.

Rev.mus octavus Consultor censet quaestionem massarum bonorum considerandam esse sub luce alterius quaestionis de suppressione beneficiorum. Cum beneficia deficiant vel supprimantur alia media constituenda sunt pro sustentatione cleri et pro aliis necessitatibus.

Iamvero ad normam Decreti *Presbyterorum Ordinis* (nn. 20-21) et M.P. *Ecclesiae Sanctae* (I/4, 5, 8) sequentes massae bonorum in iure patrimoniali Ecclesiae moderno definiendae sunt:

- a) massa bonorum communis pro cleri sustentatione;
- b) massa bonorum communis pro praeventia sociali ecclesiasticorum;
- c) massa bonorum communis generalis ad alias necessitates satisfaciendas nempe ad:

1. remunerationem personarum laicarum Ecclesiae deservientium;
2. acquisitionem, restaurationem etc. rerum mobilium et immobilium et sustentationem operum caritatis et apostolatus;
3. subsidia aliis dioecesibus pauperibus elargienda.

Massae, de quibus sub *b)* et *c)* possunt etiam superdioecesanae, quinimmo nationales et supernationales esse.

Cum in re patrimoniali multa iuri particulari reliqui debeant, in Codice Iuris Canonici quaedam tantum normae generales condantur, quae ubique applicandae et omnibus exemplo sint.

His dictis Rev.mus octavus Consultor Consultores remittit ad schema canonum quod ipse praebet in suo voto.

Sed Consultores generatim censent canones a Rev.mo octavo Consultore propositos esse nimis cogentes quoad obligationem instituendi massas communes et multas determinationes continere quae potius pertinent ad ius particulare, pro locorum circumstantiis (Rev.mi Relator, secundus, septimus, tertius, quartus et Ill.mi nonus et decimus Consultores).

Rev.mus quintus Consultor vellet obligationem taxativam statuere ut massae ubique constituentur.

Rev.mus sextus Consultor vellet commendare Conferentiis episcopalibus ut edant normas pro massis constituendis. In iure autem communi dari possent normae pro illis dioecesibus ubi Conferentiae episcopales nihil statuerint.

Ad terminologiam quod attinet, Rev.mus primus Consultor vellet ut illa patrimonia communia denominentur « instituta » potius quam « massae ».

Dum, e contra, Ill.mus nonus Consultor censet quod verbum « institutum » sit aequivocum (associatio? fundatio?). Melius est ut ipsum ius particulare statuatur etiam de denominatione illarum massarum, ita ut Episcopi liberi esse possint secundum locorum circumstantias.

Rev.mus Secretarius, attentis his discussionibus, hanc formulam proponit:

« § 1. Advigilent Episcoporum Conferentiae, iuxta normas ab ipsis condendas, ut in singulis dioecesibus habeatur speciale institutum quod bona vel oblationes colligat eum in finem ut honestae necnon fundamentaliter aequali sustentationi omnium clericorum, qui in populi Dei servitium munere funguntur vel functi sunt, apte provideatur ».

Circa hanc formulam sequentes animadversiones habentur:

Ill.mus nonus Consultor initio addere vellet: « Advigilent *Episcopus* et Episcoporum Conferentia, etc. ... », quia Episcopus, in sua dioecesi provi-

dere potest quin attendat normas Conferentiae episcopalis (propositio non placet).

Rev.mus primus Consultor, propositionem Ill.mi noni Consultoris accipiens, ita mutare vellet: «Episcopi, praesertim in Conferentiis episcopalibus etc...» (propositio non placet).

Rev.mus octavus Consultor proponit suppressionem verborum «vel functi sunt», quia de illis clericis provideri debet per aliam massam bonorum (propositio omnibus placet).

Rev.mus sextus Consultor suppressere vellet verbum «apte (provideatur)» (propositio non placet).

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur plures dioeceses instituere posse unicum institutum quod sit interdioecesanum. Haec norma tamen poni potest in ultima paragrapho ita ut etiam ad alias massas bonorum referri possit (propositio omnibus placet).

Adunatio V^a
die 28 maii 1969 vespere habita

Rev.mus secundus Consultor proponit formulam § 2 de massis bonorum:

«Item curent Episcoporum Conferentiae ut, attentis legibus ecclesiasticis et civilibus, in singulis nationibus habeantur sive instituta dioecesana, etiam inter se foederata, sive instituta pro variis dioecesibus simul constituta, sive consociatio pro tota natione condita, quibus, sub vigilantia sacrae Hierarchiae, satis provideatur tum congruenti cautioni et adsistentiae sanitariae, quam vocant, tum debitae sustentationi clericorum qui infirmitate, invaliditate aut senectute laborant».

Rev.mus sextus Consultor censet formulam Rev.mi secundi Consultoris esse nimis prolixam et proponit hanc brevior formulam:

«In nationibus ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcoporum pro suo cuiusque territorio, ut, attentis legibus ecclesiasticis et civilibus, habeantur instituta quibus, sub vigilantia Hierarchiae, satis provideatur necessitatibus providentiae socialis et adsecurationi sanitariae».

Rev.mus Relator formulam Rev.mi sexti Consultoris probat et proponit ut loco ultimorum verborum dicatur: «... sub vigilantia Hierarchiae securitati sociali clericorum satis provideatur».

Formula Rev.mi sexti Consultoris, cum emendatione Rev.mi Relatoris, omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor quaerit num haec norma etiam ad religiosos extendi debeat.

Rev.mus Secretarius respondit melius esse si res relinquatur iuri particulari.

Rev.mus secundus Consultor proponit formulam § 3:

« In singulis dioecesibus vel regionibus, modis ab Episcoporum Conferentiis definiendis, constituatur quantum fieri possit, massa communis, qua valeant Episcopi obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque dioecesis necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant dioeceses divitiores adjuvare pauperiores ».

Rev.mus primus Consultor vellet in hac § 3 etiam criteria constitutionis talis massae communis determinare, sed alii Consultores probant hanc formulam genericam, quia in lege communi non possunt criteria determinari quae valeant pro omnibus locis.

Rev.mus quintus Consultor suppressere vellet verba « quantum fieri potest » (propositio non placet).

Rev.mus sextus Consultor proponit ut addatur: « ... modis ab Episcoporum Conferentiis definiendis, *laicorum etiam opera adhibita*... ».

Haec additio omnibus placet, exceptis illis, qui de opera laicorum agere vellent in alio loco, non vero in hac paragrapho in qua sermo est de constitutione massae.

Formula § 3 omnibus placet, exceptis Rev.mis quarto et octavo Consultoribus quoad additionem (de opera laicorum) factam.

Adunatio VI^a
die 29 maii 1969 mane habita

Rev.mus secundus Consultor proponit formulam § 4 canonis de massis communibus:

« De iudicio competentis Conferentiae Episcoporum et iuxta normas ab ipsa condendas instituta necnon massa de quibus supra (in §§ 1, 2, 3) esse possunt sive dioecesana, etiam inter se foederata, sive pro diversis dioecesibus simul constituta, sive consociationes pro tota natione condita ».

Exinde habetur longa discussio circa sequentes quaestiones:

a) Num concedenda sit Conferentiae episcopali potestas legislativa quoad hanc materiam, ita ut omnes Episcopi teneantur legibus ipsius Conferentiae.

Rev.mi quintus et septimus Consultores positive respondent, quia, si res relinquatur liberae voluntati uniuscuiusque Episcopi, difficillime recessio fit a quodam «egoismo» dioecetano...

Rev.mi secundus et tertius Consultores item positive respondent saltem quando duae tertiae partes suffragiorum sodalium Conferentiae habeantur.

Rev.mi primus et sextus Consultores vero negative respondent, ne limitetur potestas Episcoporum vel, dicit Rev.mus sextus Consultor, ne augeatur potestas huius Coetus intermedii inter Summum Pontificem et Episcopos. Rev.mus primus Consultor addit quod in hac materia leges Conferentiae inefficaces evaderent et ideo melius est ut promoveatur libera adhaesio uniuscuiusque Episcopi.

Rev.mus octavus et Ill.mus nonus Consultores dicunt non esse necessarium potestatem legislativam tribuere Conferentiae. Quando enim maioritas suffragiorum habetur, peti potest a S. Sede ut deliberatio vim legis habeat.

b) Num opportunum sit consociationem institutorum ad plures nationes extendere.

Plures Consultores positive respondent.

Ill.mus decimus Consultor Consultores monet ut considerent periculum talium institutionum supranationalium in rebus oeconomicis. Status civiles enim suspicari possent per tales institutiones negotiationem nummorum (traffico di valuta) fieri.

Rev.mi quintus et sextus Consultores censent melius esse ut nihil de hac re dicatur in lege communi, ita ut videat Sancta Sedes in singulis casibus.

c) Num remissio facienda sit ad can. 1519 (recognitum)² quod attinet ad administrationem bonorum quae coalescunt ex pluribus institutis foederatis.

Rev.mi sextus et tertius Consultores positive respondent.

² Can. 1519: «Bona ecclesiastica, quae ex pluribus dioecibus coalescunt, ad normam can. ..., administrantur secundum normas a Conferentiis episcopalibus legitime statutas».

Alii censeant remissionem ad illum canonem non esse necessariam.

d) Num possibilitas sese foederandi extendi debeat etiam ad instituta de quibus in § 1 (ad honestam sustentationem clericorum).

Rev.mus octavus Consultor censeat mentem Concilii Vaticani II fuisse ut illa instituta sint dioecesana, dum alia instituta de quibus in §§ 2 et 3 foederari possunt.

Alii Consultores vero non habent difficultatem ut etiam instituta de quibus in § 1 foederari possint.

Adunatio VII^a
die 29 maii 1969 vespere habita

Rev.mus secundus Consultor aliud schema § 4 praebet Consultoribus. In hoc novo schemate, dicit Rev.mus secundus Consultor, ratio habetur de illis quae dicta sunt in discussione matutina.

«§ 4. De consensu competentium Episcoporum Conferentiarum, et iuxta normas ab ipsis condendas, fines de quibus in §§ 1, 2, 3 promoveri possunt per cooperationem plurium dioecesium vel per consociationem sive pro tota natione, sive pro pluribus nationibus conditam.

Quodsi, in casu particulari, aliqualis eiusmodi dispositio ad bonum commune necessaria esse videtur, decisio Conferentiae competentis, ad normam can. ... prolata, vim legis habet pro omnibus quos respicit».

Vel

«Quodsi aliqua eiusmodi dispositio maiori parti Conferentiae videtur ad bonum commune requiri, valde optandum est ut decisio maioritatis ab omnibus Conferentiae membris in effectum deducatur».

Rev.mus octavus Consultor vellet melius et clarius definire quod haberi potest vel unicum institutum pro pluribus dioecibus, vel foederatio plurium institutorum dioecesanorum.

Alii Consultores autem censeant quod sive prior sive altera formula Rev.mi secundi Consultoris acceptari possunt uti basis discussionis.

Rev.mus primus Consultor notat quod in formulis Rev.mi secundi Consultoris factum associationis institutorum describitur modo impersonali, dum e contra melius est si dicatur quis promovere debeat tales associationes. Unde hanc formulam proponit:

«Episcoporum Conferentiae, iuxta normas ab ipsis condendas, fines de quibus in §§ 1, 2, 3 promoveant vel per instituta dioecesana inter se foederata, vel per cooperationem aut etiam convenientem consociationem pro variis dioecesibus, imo et pro toto territorio constituta».

Sed Rev.mus sextus Consultor animadvertit formam impersonalem praefendam esse quia quandoque aliqui vel complures Episcopi possunt foederationem inter se promovere si non adhuc extent instituta pro tota natione.

Rev.mus secundus Consultor concordat cum Rev.mo sexto Consultore et hanc simpliciolem formulam proponit:

«Fines de quibus in §§ 1, 2, 3 obtineri possunt per instituta dioecesana inter se foederata vel per cooperationem aut etiam per convenientem consociationem pro variis dioecesibus, imo et pro toto territorio constitutam».

Rev.mus quintus Consultor hanc formulam probat; proponit tamen ut dicatur: «Fines ... *aptius* obtineri possunt etc.» (omnibus placet).

Rev.mus octavus Consultor notat quod illud «aptius» semper et merito dici potest de finibus de quibus in §§ 2 et 3; fines autem de quibus in § 1 non raro aptius obtineri possunt per instituta dioecesana. Ideo in § 4 dicatur: «Fines de quibus in §§ 2 et 3 aptius obtineri possunt etc. ...» (omnibus placet).

Haec novissima formula Rev.mi secundi Consultoris, cum emendationibus Rev.morum quinti et octavi Consultorum, omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor proponit ut haec § 4 compleatur per haec verba:

«Foveantur insuper relationes, quoties id expedire videatur, inter huiusmodi instituta diversarum nationum ad eorum maiorem efficacitatem promovendam ac tuendam».

Propositio omnibus placet.

Ad personalitatem moralem horum institutorum quod attinet, Consultores censent nihil dicendum esse in lege communi, ita ut videat ius particulare pro diversis locorum circumstantiis.

Adunatio VIII^a
die 30 maii 1969 mane habita

Ill.mus nonus Consultor proponit ut in canone de massis communibus addatur § 5 his verbis:

«Pro iisdem institutis servetur forma iure quoque civili valitura».

Rev.mus sextus Consultor, propositionem Ill.mi noni Consultoris pro-

bat quoad substantiam; quoad formulam tamen proponit ut § 5 his verbis redigatur:

«Quod si haec instituta personalitate donentur, ita pro posse constituenda sunt ut iure civili, etiam internationali, recognosci possint».

Rev.mus primus Consultor censet hanc § 5^{am} non esse necessariam; potius verba § 2^{ae} «attentis legibus ecclesiasticis et civilibus» transferri possent ad § 4^{am}, quae ideo ita sonare deberet:

«Fines de quibus in §§ 2 et 3 aptius obtineri possunt, attentis semper legibus ecclesiasticis et civilibus, per instituta, etc ...».

Rev.mi sextus et secundus Consultores concordant cum Rev.mo primo Consultore circa suppressionem illorum verborum in § 2, sed asserunt necessitatem § 5^{ae}, quia agitur de principio generali asserendo quod valeat de omnibus institutis seu massis communibus. Ideo Rev.mus secundus Consultor proponit ut, suppressis illis verbis in § 2, redigatur § 5 his verbis:

«Haec instituta ita pro posse constituenda sunt ut iure civili quoque efficaciam habeant».

Haec novissima propositio Rev.mi secundi Consultoris omnibus placet, excepto Rev.mo primo Consultore.³

Rev.mus sextus Consultor animadvertit quod instituta seu massae communes, de quibus in canone iam redacto, finem habent inducendi maiorem iustitiam in ambitu dioecesano vel interdioecesano.

Nonne opportunum esset ut aliquod institutum apud Sanctam Sedem curet de maiore iustitia inter varias Conferentias Episcopales per aliquam «capsam compensationis»?

Rev.mi primus Consultor et Secretarius respondent propositionem Rev.mi sexti Consultoris suum momentum habere. Attamen non videtur de hac re agi posse in Codice, cum sit materia delicata potius relinquenda Sanctae Sedi.

³ Exc.mus Rev.mus primus Consultor petiit ut haec nota inseratur in actis:

1. Suffragium negativum dedi pro admittendo textu § 5^{ae} quia censui illa verba non esse necessaria. Attenta convenienti potestate Conferentiarum — de qua in §§ 1, 2, 3 — sufficiens erat dicere «attentis legibus ecclesiasticis et civilibus» in § 4, quia implicite quaestio solutionem inveniebat.

2. Suffragium positivum dedi pro inserendo textu § 5 in § 4 quia censui possibilem recognitionem civilem convenientem esse pro casibus §§ 2 et 3, non autem pro § 1, nam in hac paragrapho agitur de re omnino interna Ecclesiae. Si recognitio civilis, in casu extraordinario, necessaria fuerit, Conferentia episcopalis providebit, quia ipsi obligatio est «advigilandi», scilicet «curandi» prout dicitur in § 1.

QUAESTIO III

QUAENAM SINT INSTITUTIONES ECCLESIASTICAE QUAЕ ASSIGNATIONE
BONORUM PATRIMONIALIUM STABILIMUM EGENT UT RECTE CONSTITUI POSSINT

QUAESTIO IV

NUM QUAEDAM OFFICIA ECCLESIASTICA BONA TEMPORALIA, TAMQUAM DOTEM,
IN POSTERUM RETINERE VALEANT

Cum tempus deficiat, haec duae quaestiones brevissime examinantur a Consultoribus.

Post aliquam discussionem communiter Consultores videntur convenire circa sequentes conclusiones:

a) Non videtur opportunum aliquem indicem redigere ad indicandas institutiones quae assignatione bonorum patrimonialium stabilimum egent ut recte constitui possint.

b) Nihil vetat quod in posterum quaedam officia ecclesiastica bona temporalia tamquam dotem retinere valeant, dummodo non amplius extet ille nexus per quem titularis officii fructus dotis suos faciat.

c) Talis dos, si quae alicui officio assignata sit, bonis frugiferis consistere debet; non autem aliis fontibus de quibus in can. 1410 CIC.

Adunatio IX^a
die 30 maii 1969 vespere habita

Resumitur quaestio num bona quae ad personas iuridicas seu canonicas privatas pertinent inter bona ecclesiastica computanda sint.

Cum quaestio longe lateque initio huius Sessionis discussa sit et deinde Consultores tempus habuerint cogitandi de hac re, Rev.mus Secretarius censer iam non esse indulgendum novae discussioni, sed potius quaestionem dirimendam esse per suffragationem.

Ideo Rev.mus Secretarius haec dubia proponit ut de ipsis suffragatio fiat:

1. Num bona temporalia quae ad personas iuridicas seu canonicas privatas pertinent, sint inter bona ecclesiastica computanda.

2. Quatenus affirmative ad I^{um}, num eadem bona subiicienda sint regi-
mini communi bonorum ecclesiasticorum.

3. Quatenus negative ad II^{um}, num haberi debeat regimen speciale et
proprium circa ea bona in iure canonico.

4. Quatenus affirmative ad III^{um}, utrum illud regimen speciale sit
disponendum per modum exceptionum in legibus communibus, an potius
per leges novas condendas in iure canonico.

Exitus suffragationis sequens est:

Ad I^{um}: placet 9; non placet 0; abstinet a sententia ferenda 0.

Ad II^{um}: placet 0; non placet 9; abstinet a sententia ferenda 0.

Ad III^{um}: placet 9; non placet 0; abstinet a sententia ferenda 0.

Ad IV^{um}: (per modum exceptionis):

placet 6; non placet 2; abstinet a sententia ferenda 1.

Suffragatione facta, finis imponitur Sessioni.

APPENDIX

CANONES APPROBATI

§ 1. Advigilent Episcoporum Conferentiae, iuxta normas ab ipsis condendas, ut in singulis dioecesibus habeatur speciale institutum quod bona vel oblationes colligat eum in finem ut honestae necnon fundamentaliter aequali substationi omnium clericorum, qui in populi Dei servitium munere funguntur, apte provideatur.

§ 2. In nationibus ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, curent Conferentiae Episcoporum pro suo cuiusque territorio ut habeantur instituta quibus, sub vigilantia Hierarchiae, securitati sociali clericorum satis provideatur.

§ 3. In singulis dioecesibus vel regionibus, modis ab Episcoporum Conferentiis definiendis, laicorum etiam opera adhibita, constituatur quantum fieri possit massa communis qua valeant Episcopi obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque dioecesis necessitatibus occurrere, quaque etiam valeant dioeceses divitiores adjuvare pauperiores.

§ 4. Pro diversis locorum adiunctis, fines de quibus in §§ 2 et 3 aptius obtineri possunt per instituta dioecesana inter se foederata, vel per cooperationem aut etiam per convenientem consociationem pro variis dioecesibus, imo et pro toto territorio constitutam.

Foveantur insuper relationes, quoties id expedire videatur, inter huiusmodi instituta diversarum nationum ad eorum maiorem efficacitatem promovendam ac tuendam.

§ 5. Haec instituta ita pro posse constituenda sunt ut iure civili quoque efficaciam obtineant.